



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. III. Vtrum sit hæc conueniens forma consecrationis vini, Hic est calix
sanguinis mei &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

vel intentione enuntiantis pendere, pro quo tempore sit censenda vera; in praesenti ergo dicendum cum minister intendat per huiusmodi formam ponere corpus sub speciebus, ad veritatem propositionis non requiri ut obiectum praesit, sed ut in fine propositionis ponatur. Confr. copula respiciens duo extrema & illa coniungens, id facit iuxta extremorum exigentiam, vel intentionem proferentis: unde non semper debet obiectum esse, quando ponitur copula, sed potest significatio suspendi usque ad praedicatum pronuntiationem, ut si quis velit alteri dare librum his verbis: *hic liber est tuus*, positio obiecti, seu quod liber sit alterius, potest suspendi usque ad finem orationis, de hac propositione, Ioannes est homo, aliter est indicandum, cum ea sit merè speculativa, & in materia necessaria, quæ proinde, ut sit vera, supponit obiectum.

ARTICVLVS III.

Utrum si hæc conueniens forma consecrationis vini, hic est calix sanguinis mei &c.

AFFIRMAT, patet quia per illa verba aptè designatur existentia sanguinis Christi sub speciebus vini.

Notandum 1. quòd, quemadmodum supra diximus valde fieri consecrationem panis, licet nulla alia verba praemittantur; ita in praesenti dicendum valde consecrari calicem, quamuis non dicatur, *Smit modo &c.*

Notandum 2. hæc verba: *hic est calix sanguinis mei*, vel æquivalentia ita requiri, ut sine illis consecratio fieri nequeat: sufficit verò forma, à quolibet Evangelistâ, vel ab Apostolo relata. nã quamuis nesciatur præcisè, quibus verbis Christus consecravit calicem, & Evangelistæ quoad verba variè formam referant, quia tamen idem est sensus verborum, prout communi vñ accipiuntur, quidquid sit de rigore logico, idcirco valde perficitur consecratio per formam à quouis Evangelistâ relata. hinc valida est forma: *hic est sanguis meus*, quæ habetur apud Matth. & Marcum, in liturgia sancti Iacobi, Basilij, Chrysostomi. similiter hæc, *hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo*, ut habet Lucas. item: *hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine*, ut habet Apostolus 1. ad Cor. 11. similiter nostra: *hic est calix sanguinis mei*, quia omnes vñ vulgari censentur idem significare. nam communi vñ ostenso poculo, in quo est vinum, censetur velle idem dicere, siue dicamus: *hoc est vinum*, siue: *hoc est poculum vini*. Valide etiam fiet consecratio si dicatur: *hoc poculum*, vel: *hic calix est sanguis meus*, vnicuique tamen seruandus est ritus propriæ Ecclesiæ, nec licet absque graui peccato ab eo recedere. his suppositis

D V B I V M.

Utrum ea sola verba: hic est calix sanguinis mei, vel æquivalentia, sint de essentia formæ consecrationis vini?

IN nostrâ liturgia prædictis verbis adduntur: *novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, quibus verbis significatur quòd calix conti-

neat sanguinem, quo sancitur nouum Testamentum, duraturum in perpetuum, & quo conceditur ius ad æternam hereditatem, qui quæ effundetur pro multis, id est omnibus, in remissionem peccatorum, quod fide cognoscitur, estque magnum fidei arcanum.

Controuersia est num hæc adiectio ad rationem formæ pertineat?

Prior sententia asserit, ita D. Tho. hic in corpore, quamuis enim non vtatur nomine essentia, sed substantiæ, sumit tamen substantiam pro essentia, sicut in materia Sacramentorum sumi solet, cum quaeritur, num aliquid sit de substantiâ formæ, vel materiæ: & in hoc sensu eum sequuntur plures Doctores, Pal. dist. 8. quæst. 3. art. 2. Rich. eadem dist. art. 3. quæst. 2. Sylu. verbo *Eucharistia* 1. quæst. 6. dicto 4. & alij.

Probat D. Thom. 1. omnia prædicta verba eodem ritu, & modo super calicem proferuntur. adde in Missali iisdem maiusculis litteris designari; ergo est signum omnia ad essentiam formæ pertinere. 2. prædictis verbis, *hic est calix*, &c. à beato Luca interponuntur hæc verba: *novum Testamentum*. 3. verba: *novi & æterni &c.* sunt quædam determinationes prædicati, id est *sanguinis Christi*, cum per illa denotetur virtus sanguinis effusi in passione, & proinde videntur ad rationem formæ pertinere. Addi potest, quòd in Flor. in decreto Eugenij sub finem, ut refertur in summâ Conciliorum, ita dicitur: *Tradidimus, quòd in consecratione corporis Christi hæc vteretur forma Ecclesiæ Romana: hoc est enim corpus meum, hic est enim calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. 2. addi potest Concil. Colonien. parte 7. cap. 14. 3. in catechismo Pij 5. hæc omnia ponuntur pro formâ.

Posterior sententia docet sola prædicta verba: *hic est calix sanguinis mei* vel æquipollentia esse essentialia formæ consecrationis calicis. tenet Magister dist. 8. Bonau. eadem d. parte 2. art. 1. quæst. 2. Dur. quæst. 2. Maior quæst. vnica §. *Eucharistia autem*. Gabriel lectione 53. in canonem Littera B. Vid. de Eucharistia numer. 74. Caiet. hic, Sotus dist. 11. quæst. 1. art. 3. Alanus lib. 1. de Eucharistia cap. 19. §. *tamen tertia*. & plurimi alij tam antiqui, quàm recentiores.

Hæc sententia est omnino verior. Probat 1. constat in nullâ liturgiâ, præterquam in Romana, omnia relata verba contineri; nam in liturgia sancti Iacobi ita habetur: *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis & multis effunditur, & datur in remissionem peccatorum*. in liturgia sancti Basilij: *hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. eodem pene modo habent aliæ liturgiæ, in quibus omittuntur illa verba, *æterni, mysterium fidei*; immò in liturgia Æthiopum omittitur: *novi Testamenti*; ergo signum est non omnia verba nostræ liturgiæ esse de essentia formæ, cum absque temeritate dici nequeat hos sanctissimos Patres, eorumque Ecclesias non habuisse legitimam formam, & per consequens nunquam calicem consecrasse, atque adeò non habuisse legitimum sacrificium. Confr. fuisse intolerabile, quòd Ecclesiæ non habens formam legitimam non fuisset à Latinâ edocta de veritate, cum ea errores Græcorum non soleat dissimulare, ut patet ex Concilio Lugdunensi, Flor. & alijs. immò etiam hoc tempore Græci Romæ antiquâ formâ vtuntur; signum est ergo Ecclesiâ Latinam censere eam sufficientem, & quod inde sequitur,

non

Prior sententia affirmat. D. Thom.

Palud. Rich. Sylu.

Suadetur hæc sententia à D. Thom.

Posterior negat. Magist. Bonau. Dur. Maior. Gabr. Caiet. Sot. Alan.

26. Hæc sententia præfertur.

Græci Romæ antiquâ formâ vtuntur.

non omnia verba nostrae liturgiae esse de essentia consecrationis calicis, quod si haec non sint: *atrum, & mysterium fidei*, non est quoddam asseramus alia esse de essentia, cum non sit potior ratio aliquorum, quam aliorum, quae distinctam habent significationem

Prob. 2. ex PP.

Probatur 2. ex Patribus, qui tradentes formam, qua conficitur Christi sanguis, nunquam meminerunt illius adiectionis, sed vel supponunt, vel aperte tradunt his verbis: *hic est calix sanguinis mei*, vel similibus perfici consecrationem calicis, ut patet ex auctore sermonis de cena Domini. Ambros. lib. 4. de Sacramentis cap. 5. lib. de iis qui mysterijs initiantur cap. 9. Emisseno serm. 5. de Paschate. Dam. lib. 4. de fide cap. 14. quorum verba in praecedentibus saepe citauimus.

Prob. 3.

Probatur 3. est minus probabile Euangelistas, qui institutionem huius Sacramenti accurate descripserunt, omisisse formam essentialem consecrationis calicis; nullus autem est, qui omnia verba habeat, quae ponuntur in nostra liturgia, cum Matth. cap. 26. dicat: *hic est enim sanguis meus, novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, Marcus cap. 14. retenta forma Matthaei omittit illa verba, in remissionem peccatorum, Lucas cap. 22. habeat: *hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*.

Non videtur D. Thom. satisfacere.

Nec videtur satisfacere D. Thom. responsione ad 9. dicens Euangelistas non intendere formas Sacramentorum tradere, sed Christi historiam texere, quia non debuerunt omittere id, quod est essentiale in narratione institutionis alicuius Sacramenti, cum longe leuora posuerint. Confr. 1. ne quidem omnes simul posuerunt omnia verba, quae habemus in nostra liturgia. Confr. 2. non obstante eo quod forma Sacramentorum initio Ecclesiae debuerint esse occulta, iidem tres Euangelistae distincte ponunt integram formam consecrationis panis, ergo verius est etiam posuisse integram formam consecrationis calicis. Confr. 3. ex eo quod Apostolus 1. ad Cor. 11. dicat se tradere Corinthijs quod acceperat à Domino; qui tamen solum ponit: *hic calix novum Testamentum est in meo sanguine*, videturque hoc modo potuisse consecrare.

2. forma Sacramentorum efficiunt significando; ergo ea est censenda forma legitima, & sufficiens, quae sufficienter significat sanguinem esse sub speciebus vini, id autem sufficienter significatur per hanc formam: *hic est calix sanguinis mei*. Confr. propter similem rationem dictum est contra Graecos hanc formam: *hoc est corpus meum*, sufficere pro consecratione panis.

27. Satisfit argumentis sententiae affirmatiuae.

Ad argumenta in contrarium allata. Resp. 1. non ita proferri, quod iudicentur pertinere ad rationem formae, neque ea de causa maiusculis litteris in Missali designari, sed quod Ecclesia iudicauerit ad maiorem explicationem addenda verba formae, & ad illa referenda: certe si argumentum simile non concludat verba addi solita à Graecis formae consecrationis panis: quod pro vobis frangitur, & datur in remissionem peccatorum, esse essentialia, neque in praesenti concludit adiectionem in nostra liturgia esse de ratione formae.

Ad 2. Resp. id non arguere huiusmodi verba pertinere ad essentiam formae, nam potuerunt interponi eo quod à Christo dicta fuerint, quod tamen non arguit esse essentialia, quemadmodum si diceretur: *hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur*, vel: *quod pro vobis datur*, quamuis à Christo prolata, non sequeretur esse de essentia formae, unde

Ad 3. Resp. non omnem determinationem praedicati esse de ratione formae, ut patet in determinatione, seu adiectione à Graecis facta in consecratione panis.

Ad id quod adfertur ex Concilio Flor. Dico, non omnia & singula, quae recenset, pertinere ad rationem formae, sed poni in forma, prout ab Ecclesia Latina pronuntiat, quod patet ex illis verbis: *radidimus quod hac videretur forma &c.* id est, quod in Ecclesia Latina forma consecrationis calicis ita pronuntietur, siue omnia verba sint de essentia, siue non, de quo Concilio nihil tradit in alteram partem, adde tamen illum paragrafum non haberi in tomis Conciliorum, idem Resp. ad Conc. Colonienfem, idem dici potest ad catechismum Pij 5. vel dici potest auctorem illius secutum D. Thom. ita sensisse, cuius sententia est contra communio-rem, nec habet maiorem auctoritatem quam privati alicuius Doctoris.

Dices, commentarius Caietani contrarius D. Thom. iussu Pij 5. in Romana editione expunctus est. Resp. id non esse factum, quod Caietani sententia sit falsa, vel etiam improbabilis, sed quod is sententiam D. Thom. nimis dampnat.

Ex dictis sequitur validam futuram consecrationem illis verbis: *hic est calix sanguinis mei*, vel: *hic est sanguis meus*, omnibus alijs praetermissis; qui tamen alia ommitteret, grauissimè peccaret faciens contra grane tacitum Ecclesiae praecipuum.

Difficultas est, an saltem haec verba adiectione concurrant reipsa ad positionem sanguinis sub speciebus? Aliqui sentiunt quod licet non sine essentialia forma, concurrant tamen ad effectum, si ponantur; quemadmodum partes, quae dicuntur solum integrantes, non requiruntur quidem ad essentiam hominis, v. g. brachium, pes, concurrunt tamen ad eiusdem constitutionem si adsint, atque adeo licet non sint de essentia hominis, sint tamen de substantia, ita Sotus art. citato qui in hunc sensum explicat D. Thom. sed de sancti Thom. sententia supra dictum est, certe si solutio secundi, & non cum ipsis argumentis conferatur, clarè apparebit sanctum Thomam voluisse tradere adiectionem ita esse de substantia formae, ut forma abique illa sit inualida; alioquin solutio nullo modo quadraret argumentis.

Verum longe probabilior est variorum aliorum sententia, haec verba adiecta nullo modo pertinere ad integritatem formae, vel eius effectum attingere.

Probatur, ut additamentum hoc concurreret ad effectum formae, deberet vim habere ex Christi institutione, quod si ita esset, omnino videretur esse de essentia: nihil enim à Christo est institutum pro forma, quod saltem quoad sensum non sit de eius essentia. Confr. si Christus instituit additamentum tanquam pertinens ad substantiam formae, illud precepisset; quod non videtur dicendum, alioquin qui vtuntur alijs liturgijs, in quibus non habentur omnia verba nostra liturgiae, grauissimè peccarent. assumptum probatur, Christus non videtur aliquid instituisse, tanquam pertinens ad formam, quod non praecepit; quod si Christus non instituit, & praecepit praedicta verba, tanquam pertinentia ad formam, non est quod illa dicantur concurrere ad effectum, quando prioribus verbis coniunguntur, cum eam vim aliunde sortiri nequeant, quam ex Christi institutione.

Ex his inferitur, siue consecratur panis forma Graecorum, siue calix forma Latinorum, consecrationem

tionem fieri praeside per illa verba: *hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei*, vel: *hic est sanguis meus*, & additamentum ex parte praedicati ad eam non concurrere, neque ministrum posse suspendere effectum usque ad finem illorum verborum, quia si proferatur sufficiens forma super legitimam materiam cum intentione Sacramentum conficiendi, non est in potestate ministri, ut suspendatur effectus.

Confit. si additio facta praedicato propositionis suspendat effectum, ergo suspendit in Christo in consecratione panis, unde sequitur Ecclesiam Latinam non consecrare ijs verbis, quibus Christus, & non proferre omnia substantialia, quae protulit Christus.

Ex his etiam infero à fortiori, aliqua, quae in fine formarum addi possunt, non concurrere ad effectum, ut in forma baptismi, si post *Spiritus S.* dicatur: *paracleti, procedentis ab utroque*, quia ea verba non sunt ex Christi institutione, & ante illa, tota forma est legitima, certe si minister suam additionem posset suspendere formam & effectum Sacramentorum posset longissimam orationem efficere ne forma censeretur perfecta, quod omnino est absurdum.

Petes cur ergo Ecclesia Latina haec verba adijci?

Resp. quia videtur verius illud additamentum à Petro relictum Ecclesiae, qui id à Christo accepit, ut communis Doctores, qui censent ea verba à Christo tradita, & Ecclesiam Latinam illud retinuisse, tum ea de causâ, tum quia per hoc additamentum optimè explicatur dignitas, & excellentia huius Sacramenti. Ecclesia autem Latina potius addit aliquid formae calicis, quam formae panis consecratur, quia novum testamentum confirmandum erat sanguinis effusione, & proinde convenienter haec additio facta est in consecratione calicis, ut explicaretur confirmatio redemptionis nostrae, & novi testamenti.

Pro sententia Soti potest opponi quod constat aliqua posse concurrere ad substantiam Sacramenti, eiusque effectum, quae tamen non sint de essentia, ita ut sine illis Sacramentum perfici queat. 1. in baptismo particula, *ego*, saluam veritate formae potest omitti, si tamen adsit concurrat ad eius substantiam. 2. in eodem baptismo trina immersio non est de essentia materiae, potest tamen concurrere per modum materiae ad Sacramentum. 3. ultima dictio in formis Sacramentorum potest longiori morâ proferri, quo casu concurrat ad substantiam Sacramenti, cum tamen longa illa mora non sit de essentia formae. 4. in Penitentia datur pars integralis, quae non est essentialis, denique si quis vteretur hac forma: *hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, particula, *novum testamentum*, concurreret ad consecrationem, eiusque effectum scilicet ad ponendum Christi sanguinem sub speciebus, cum tamen non sit de essentia formae.

Ad 1. Resp. aliquos existimare particulam, *ego*, neque esse essentialem, neque substantialem: aliter dici potest, quoad sensum saltem tacitum, esse essentialem, & ita eam particulam semper concurrere, saltem in alijs quae eundem tacitum sensum reddunt, unde quando adest reipsa concurrat: Dico quoad sensum tacitum, propter formam Graecorum, *baptizetur servus Christi*, in qua tacite insinuat personam ministri, ut dictum est, cum de baptismo esset sermo: hic verò nihil est simile, cum verba priora non significant posteriora, adde quod

etiam si significant, posteriora non concurrerent, cum significatio perfecta haberetur ante eorum aduentum.

Ad 2. Resp. non esse simile, pro quo

Notandum ad rationem materiae baptismi solum requiri in genere, ut sit sufficiens, ut homo possit dici ablui, quod autem magna copia apponatur, vel per modum immersionis &c. vel plurimum immersionum, non est necessarium, quo tamen non obstante, si adhibeatur trina immersio, antiquam finiatur forma, verum est dicere: illa trina immersio est immersio sufficiens, ut quis dicatur ablui, & proinde per modum materiae potest concurrere ad baptismum, non quod in illis immersionibus sit distinguere partem essentiali à substantiali vel integrali, cum non possit potius una pars aquae esse essentialis, quam alia, sed tota per modum unius ablutionis concurrat: in praesenti autem una pars formae dicitur essentialis, altera verò integralis.

Ad 3. dici potest statim poni Sacramentum cum ultima syllaba sufficienter est sensibilis, ita ut diuturna mora nec pertineat ad substantiam Sacramenti, nec concurrat ad effectum, quod si quis velit expectandum finem pronuntiationis

Resp. non esse simile, quia verba ex divina institutione praescripta ad essentiam Sacramentorum requiruntur: unde quando diuturniori mora pronuntiantur, non invenitur aliud, quam quod divina lege praescriptum est ad essentiam, licet modus pronuntiandi possit esse varius, isque relictus sit hominis arbitrio, qui tamen nullam partem dicit quoad sensum substantialem.

Ad 4. Resp. constare ex Ecclesiae determinatione satisfactionem solum esse partem integram Sacramenti penitentiae, idque secundum naturalem rerum exigentiam: hic autem nihil simile habemus, & neque in hac forma, neque in alia id dici posse, argumenta tum à nobis allata, tum alia varia persuaident.

Ad 5. Resp. quibusdam videri particulam, *novum testamentum*, in forma Apostoli non tantum esse partem substantialem iuxta sensum Soti, sed essentiali, & tanquam talem concurrere, cum in tali forma illa particula sit causa, cur voces, *in sanguine meo*, reddant sensum ad conversionem vini in sanguinem necessarium: nam forma his verbis concepta dicit quod calix sit novum testamentum in sanguine, seu ratione sanguinis, ut instrumenti, in qua oratione voces, *novum testamentum*, videntur concurrere ad significationem formae, & proinde in illo sensu concurrere ad effectum, non ut pars substantialis, sed essentialis, cum sine illis non constet significatio, quâ significatur sanguinem esse sub speciebus. sed videtur probabilius eas voces non concurrere ad conversionem vini in sanguinem, quia interpositae non habent aliud significatum, quam postpositae, atqui postpositae non concurrerent.

Dices, sine illis vocibus non constat forma apud Replicam.

Lucam. Resp. neg. assumptum, quia haec propositio: *hic est calix in meo sanguine*, aequivaleret illi: *hic est calix sanguinis mei*, nam particula, *in sanguine*, designat quid in calice contineatur.